



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. V. Non præcedendum, sed Christvm cum Crvce sequendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT V.

*Non precedendum, sed Christum cum
CRUCE sequendum.*

Qui festinus est pedibus, offendit.

Proverb. 19, 2.

*Quæ præt, errat ovis: propriam lubet ordine
recto*

Si portare CRUCEM, ponè sequare Ducem.



T qui à rectâ viâ semel deuia-
uerit, in alia semper incidit di-
uerticula: ita qui superficiete-
nus Deum tantùm quærit, se-
mifauciâ voluntate, volens no-

leni que rectam numquam tenebit semitam,
ex vno in alium labetur errorem. Experta id
fuit Staurophila, quæ dum docetur vnum
cauere vitium, in alterum incidit. Tot enim
iam monitis instructa, meditabatur generosè
CRVCIS iter onusque suscipere, nec vllis ce-
dere difficultatibus. Feruidè igitur CRV-
CEM in humeros conijciens, non exspectato
Domini responso, præcurrere satagebat: ni-
hil interim hîc sibi simplex columba metue-
bat, cum & proprio niteretur iudicio, & sine
duce tam arduum iniret iter.

At

Qui festinus est pedibus, offendit. *Prou. 19.*



*Que preit, errat ouis: propriam lubet ordine recto
Si portare CRUCEM, pone sequare Ducem.*

At Christus ponè eã retinens, reuocansque; Erras, inquit, ô Staurophila, & temerario peccas feruore: oblita siquidem videris earum quas antea tradidi instructionum, ita vt rursus indigeas edoceri quæ sint elementa exordij sermonum Dei. Cui illa: Quanam ista sunt Domine? Respondit Christus: Ignoras etiam? an non principio dixi, *Si quis vult post me venire, tollat CRUCEM suam, & sequatur me?* idem talem inculcans, vt & venires post me, & baiulans CRUCEM sequereris me, quasi satis non foret, semel id monuisse; tu interim ne semel quidem id animo reuoluisti.

Necdum Staurophila errorem suum agnoscebat, sed volens iustificare semetipsam, respondebat: Domine, semper audiui discipuluisse tibi tepidos & dissolutos, contra placuisse spiritu feruentes, Domino seruientes. Et memini Apostolum tuum non ad ambulandum, sed percurrendum Christianæ vitæ stadium exhortari. *Sic, inquit, currite, vt comprehendatis.* Quid igitur pecco, si gnauiter me ad cursum accingam, & currere etiam incipiam? Et nõne sic breue, quod vitæ meæ restat tempus, feruore compenso? In eo, inquit Christus, delictum est, quod non venias post me, quod ME (vt iam dixi) non sequaris, quod ducem non habeas, nec

Luc. 9, 23.

Rom. 12,

11.

1. Corinth.

9, 24.

Ambr. su-
per Pl. 118.
Serm 5.

magistro vtaris. Miles qui ingreditur in
viandi ordinem non ipse disponit sibi, nec
suo arbitrio viam carpit, ne discedat à signo
sed itinerarium ab Imperatore accipit, & capi-
dit illud; præscripto incedit ordine, sum armis
suis ambulat, rectaq; viâ conficit iter; meritum
non deficit qui Imperatorem sequitur suum.
Hanc legem viarum esse præscriptam me docu-
cente & ducente, Sanctis commeantibus, non
cognoscas velim. An tu mysterio vacare cen-
ses, quòd Cyrenæus ille SIMON CRUCEM tu-

Luc. 23.

Ambros.
lib. 10. in
Euc. c. 23.

*Chrysol.
Serm. 54.

lerit meam, non ante, sed POST ME? Quis
enim hoc insinuabat, nisi quòd bonus ordo
spiritualis profectus, hoc exigebat, ut prius
CRUCIS MÆ trophaeum ipse erigerem, deinde
Martyribus, alijsque traderem erigendum.
* Præcurrens Zacchæus ascendit arborem sym-
morum, priusquam ego CRUCIS arborem
conscendissem, sed quid ei dictum fuit? Re-
stinans descende. Si sapis, descende ante Domi-
num de Adamiticâ arbore, ut post CRUCEM
Dominica passionis ascendas. Ita in arcana
sermone sequi eum, non præcedere docuit.

Quid verò mali, aiebat Staurophila, si qui
præcedat? nam si bonum CRUCEM ferre
quid adeò ductore & Doctore opus? Nimi-
rum, inquiebat Christus, ut bonum fiat be-
nè. Intolerabilis est superbiæ argumentum, ex-
stimare se nullius egere consilio; sed sibi cum
atque

Basil. in
c. 1. Isai.

attentum esse, quasi solus possit decernere quæ optima sunt. * Ridiculum planè est, ut vilium ac mechanicarum artium magistros nanciscaris, huc atque illuc oberrare; diuinam tamen Staurosophiam tamquam vile aliquid ac despiciendum tibi ipsi reseruare. Quare id maxime rogo ne ipsa te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam numquam ingressa es: statimq; in alteram partem declinandum sit, & errori pateas; plusq; aut minus ambules, quam necesse est: ne aut currens lassaris, aut moram faciens obdormias.

*Isido. Pe-
lusiote. l. i.
Epist. 260.

Hieron.
Epist. 4. ad
Rust.

Numquam arbitrata fueram, aiebat Staurophila, magnum eos subire periculum, qui in spiritu vehementi studerent procedere, atque etiam præcedere; nec vniquam mihi tantopere proprium iudicium suspectum fuit. Id verò, aiebat Christus, imperitiæ tuæ facile condonauero. Quam malum autem sit, suo, etiam in re piâ, mihi iudicio, & me, vel qui vice meâ fungitur, velle præcedere, satis Apostolorum Principi declaratum fuit. Præcedere quodam loco Petrus volebat, audiens enim de CRUCE & passione me loquentem, ait: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Sed quid responsi tulit? vade post me satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea quæ Dei sunt. Quid est hoc? Ille qui antea audierat; Beatus es Simon Bar-Iona, quia non tibi reuelauit caro

Matth. 16,

23.

August. in
Psalm. 69.

✠

& sanguis, sed Pater meus qui in caelis est: modo repente audit: Redi post me satana. Quis est, Redi post me? Sequere me. Præcedere me vis? consilium tibi dare vis? Melius est ut consilium meum sequaris: hoc est, redi retrorsum, redi post me. * Sic antecedentem compeſcebam & satanam appellabam, quia volebat ducere Ducem, docere Magistrum, iubere Dominum. Crede mihi, Staurophila, qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. Vnde lepidus apophthegmate prisca monachorum Antistites dicebant: Si videris iuuenem voluntate suâ ascendentem in celum, tene pedem eius, & projice eum in terram, quia non expedit ei. Viden' ut noccat præpropera felicitatio?

Hui! exclamabat Staurophila, quid tantum mali est, voluntate propriâ in cælum conscendere? Illud scilicet, respondebat Christus, quod voluntas propria sit pes superbia, quo nemo totus cælum introiit. Iterum dico, qui priuatum sequitur geniũ, & absque cognitione ac directione Euangelicâ graditur, impingit in multa. Plerique siquidem, non modicos labores, & exercitationes decurrerunt, afflictiones & ærumnas multas, tamquam Dei nomine pertulerunt: priuata tamen dispositio & indiscretio, item arbitrari se non egere auxilio proximi, ipsorum tam graues labores, fatigationes,

* Idem in
Psalm. 55.

Bernard.
Epist. 87.

Ephræm
tom. 2. Pa.
ran. 35

Gerson
tom. 3.
tract. de
Relig. per-
fect. con-
fid. 12.
* Marc.
Eremit. in
Præcept.
salutar.

tiones, & vexationes infructuosas effecerunt.

Tu igitur hoc barathrum fuge, & si sapias, me sequere. Moysen imitare, qui monitus ut ascenderet de loco in quod erat ad Terram promissionis, confidenter Domino dicebat: *Si non tu ipse præedas, ne educas nos*

de loco isto. In quo enim scire poterimus, ego & populus tuus, inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum. Sic &

tu filia, time vel vnum figere pedem, nisi innixa super dilectum tuum, & sequens vestigia eius. Si currere iuuat, non improbo quidem, noli tamen præcurrere. *Exultauit ego*

ut gigas ad currendam viam, si me volueris consequi, oportet sequi: non in virtute propria, sed me trahente, & gratiâ meâ adiuuante. Hoc Sulamitidis votum fuit, quæ non præire, sed trahi optabat, ut curreret post me in odorem vnguentorum meorum.

Exod. 33,

15.

Psal. 13, 6.

Cant. 1, 3.



L

CA.

Gloria magna est, sequi Dominum. Eccli. 23



*Lux ego sum mundi, mea post vestigia curro
Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.*